

130

70

11

FRATRIS  
 ARCHANGELI  
 A P A R M A 34-6-C-12-  
 SOCII PATRIS MACEDO  
 E P I S T O L A

*Obuia Aduentoria Patris Noris super Qua-  
 stione Grammatica.*

*Bibliotheca. Ser. Cou. Rom. bi. / etc.*



BIBLIOTECA A. G. E.  
 H. U. M. A.  
 VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinassij. 1674. +

SVPERIORVM PERMISSV.

FRATRES  
ARCHANGELI  
A VAMIA  
SOCIETATIS MACEDO  
EPISTOLA

Quia desideramus Vobis scribere per quod  
sunt praesentia.  
Actum in ...



*E R R A T A.*

131

Pag. 2. linea 10. *& negavit* dele *&*  
ibi lin. 30. *vel He lege Tau.*

Pag. 2. lin. 1. *Propositum* dic *ad propositum.*

THE HISTORY OF

THE CITY OF BOSTON  
FROM THE FIRST SETTLEMENT  
TO THE PRESENT TIME

Obuia Epistola Fratris Archangeli à  
Parma Socij Patris Macedo Ad-  
uentoriæ Patris Noris super  
quæstione Grammatica.



**L**ITTERAS quas scripsit Paternitas tua P. Macedo eas ego accepi, quòd ille erat occupatissimus, & ad iter Patauinum se accingebat: itaque pro illo respondeo. Miror te tantum virum communem expectationem sefellisse, quam excitaras, defendendi illam infelicem de Sanctorum Patrum Lirinensium hæresi sententiam,

& omissa Apologia ad leuissimam quæstiunculam deflectisse. Quod enim Macedo parergon leui brachio attigerat, & loco diuerticuli amæni in spinosa, & densa controversia posuerat, illud tu tanto impetu animi suscepisti, quasi in eo fortunæ totius Scholæ sita essent. Artificiose quidem ac lolerter fecisti, prudentissime Noris, qui cum videres non posse te Christianam, & solidam Macedi doctrinam, inuictis munitam argumentis refellere, à iugulo causæ grauissimæ ad talum leuissimæ disceptationis stylum auertisti, vt hoc fuce inducto lectoribus tuam cunctationem obtegeres. Nec temerè dico: nam si velis tuam opinionem defendere, propè est vt à veritate deficias, imò & à te ipso discedas, quem constat in veramque partem, vel inuitum ita disputasse, vt cum alteram amplectaris, alteram dimittas necesse sit; sicuti Macedum tuis in te argumentis retortis demonstrare memini. Verum ne putes te in Grammaticis excellere, volo palam facere in hac te disceptatione operam perdidisse. Ac, vt videant Lectores te scopum non collimasse, propono hic textum Macedi, vt ap-

A

pareat

pareat quanto iure affirmet, quæ tu negare contendis, & quàm sit aliena à causa quæ proferretur.

Patec Scopum Macedi esse retinere in Augustino nomen *Albini* viri, ut est in omnibus exemplaribus, ita ut ille vir sit, non femina *Albina*, ea ratione: quia nomen masculinum viri significare feminam nequit, quod tu asserebas affirmans *Albinum virum* significare *Albinam* feminam. Improbavit tuam rationem, qua hoc suadebas: dicebas *in illa litæe soleri usurpanti pronisive à Sanctis Patribus, nomina virorum, & feminarum,* & negavit hoc per veteres, & nuperos Grammaticos licuisse. Ab hoc scopo, doctissime Pater, tu deflectis in hac tua Epistola, & alio collimas eruditionem tuam; probas enim terminationes nominum masculinorum convenire etiam femininis, idque accumulatis auctoribus probare contendis. Nemo tibi hoc negat. Patec enim multa nomina feminina habere terminationem masculinam ut *domus, ficus, acus,* & huiusmodi. Non erat hic scopus P. Macedo, sed longè alius: videlicet nomina virorum, feminis non quadrare, neque contra. Audi rationem. Nomina imponuntur ad res propriè significandas. Masculinum significat marem, femininum feminam, qui distinctos sexus habent, ac proinde distinctis nominibus significantur, alioqui confunderentur significata, quando nomina confunduntur. Quare linguæ eruditæ, qualis est Hebræa, Græca, & Latina, semper nomina virorum, & mulierum distinxerunt. Hebræa, quæ sacra est, assignat peculiare litteras viro, & feminae, ut verum sit illud *Genesis 2. omne quod vocavit Adam ipsum est nomen eius.* Apparet in *Isch. & Ischa.* Assignat autem femininis he præcedente *camets,* & accentu in ultima, vel he præcedente *segol,* & accentu in penultima, vel præcedente *chiric,* aut *scurech,* & accentu in ultima. Idem tradit Latina, que *V* assignat viris, & *A* feminis. Non legimus Tullius pro Tullia, Servius pro Servia, Paulus pro Paula, Cornelius pro Cornelia. Græca verò quoniam terminationes minus distinctas

3  
 habet adhibet, & affigit articulos, quibus nomina distinguantur, idest *o. i. 10.* Hæc doctrina constans est, & ex ea probatur *Albinus* esse nomen viri Albini, non femine Albinæ. Hoc doctissime Noris, tuæ eruditiones; & exempla non probant; sed tantum probant, nomina quædam terminata in *Us* significare rem non masculinam, quod diuersum est à scopo Macedi. Qui tuis te exemplis potest refellere. Affers *Eunuchus*, & *Aegyptus*: at hæc duo nomina non significant feminam, & remetipso auctore. Est enim *Eunuchus* *Comedia*, non femina; *Aegyptus* Regio, non femina; quod fatentis non inuenisse te vltimum nomen viri, quod significaret feminam: nisi forte velis *Eunuchum* femine accommodare, quod est incongruum; idem rectè dixisti *Eunuchus* *Comedia*, non vero *Eunuchus* femina: Allegas pro te Rosuueydum, qui Albinum legit pro *Albina*, cui nos refragamur; non enim ille est ex Præceptoribus, quos Macedo citauit. Facilius esset dicere irreplisse mendam in nomen *Albinus*, quod debuit esse *Albina*. Quod adiungis de *Melanio* pro *Melania*; rem non continet; *Melanium* quippe nomen est neutrum; non masculinum: quod etiam intellige de *Eniochium*. Expectamus à te; vir doctissime, exempla alia in quibus appelletur femina nomine proprio viri. Dico proprio; quoniam multa sunt virorum cognomina, quæ terminantur in *A.* quæ est terminatio feminina: vt *Sulla*, *Fimbria*; *Catilina*; *Cæcina*; sed ne viderentur femine, distinguebantur nominibus masculinis proprijs virorum; vt *Lucius*, *Caius*, *Sergius*, *Aulus*; tanta erat Religio Latinis nomina huiusmodi. Liqueat ex eo, aliorum expectare, quæ tu eruditione tradis de *Glycerio*, & *Glyceria*, quæ propterea prætermittimus, cum aliena sint à scopo nostro; præterea *Glycerium* nomen est neutrum, non masculinum; ac proinde extra questionem. Hic est sensus, & Scopus Patris Macedo, qui rationem tuam impugnat: videlicet Patrum illorum tempore, idest Hieronymi, Augustini, Paulini promiscuè solita esse virorum, & feminarum nomina usurpari. Hanc

tuam positionem meritò non recipit Macedo, tum quia illi Patres latinissimi erant, nec debuerunt à prisca latinitate deuiare, tum quia tua ratio non probatur exemplis illorum Patrum, sed exemplis aliorum auctorum alterius temporis prioris, puta Terentij, Horatij, & huiusmodi: vndè patet, non eo solum tempore illorù Patrum, morem illum (si esset) miscendi nomina viguisse, cù etiam aureis latinitatis sæculis viguerit: tum præcipuè, quia non colligitur ex vno exemplo ille vsus loquendi communis, nec enim ex vno probantur plura, sed ex pluribus probantur pauciora. Hoc animaduertit Macedo: à te vnum tantum exemplum afferri, & ex eo colligi vsum communem, quod est contra regulam inductionis logicæ, quæ ex pluribus infert vnum, non contrà. Producis, vir doctissimè, exemplum solius *Albini* pro *Albina*, & ex eo infers vsum communem, qui ex eo non sequitur. Accedit quòd nomen *Albinus*, non potest trahi in exemplum, cùm de eo litigetur. *Vrgeo*. An quia semel est in Sacris iumentum locutum, inde colligitur solita loqui iumenta? Num quia *Liuius* refert bouem aliquando locutum, rectè infertur, boues loqui consueuisse? Ego qui recens à logica sum planè inficiabor. Hæc sunt quæ displicuerunt *P. Macedo*. Quem tu reprehendis quod dixerit. *Nec Glycerium apud Terentium in Andria Glyceria vocari potuit*. Meo iudicio immeritò, nam ille retinuit *Glycerium* intra Comædiam Terentij, in qua certè semper appellatur *Glycerium*, tu verò probas extra Terentium inueniri nomine *Glyceriæ*, & *Glycetzæ*, idest apud Horatium, & alios, de quibus Macedo non loquebatur, & illi de alijs *Glycerijs* loquebatur. Aliud agis. Caret igitur reprehensione; sed non cessas tantum virum inculcare; dicis eum perperam dixisse *Eustochium nomen proprium virginis esse*, negas enim, & ais esse *Julia* ex loco Hieronymi Epist. 27. his verbis. *Iuncta est Toxosio, qui Acnea, & Iuliorum altissimum sanguinem trahit, vndè etiam filia eius virgo Eustochium, Julia nuncupatur*. Libero Macedum primò, quia ille cum dixit non esse proprium virginis, non est cogendus ad eum sensum,



5  
 ut *Eustochium* sit nomen proprium, sed siue nomen sit, siue cognomen, quadrare in solam *Eustochium*. Deindè nego non esse proprium nomen, quia nomen *Iulia* est nomen, gentilitium, à maioribus tractum, non autem nomen proprium virginis, quod erat *Eustochium*, & patet quia alij eiusdem gentis Iulij poterant appellari; itaque *Toxotius* eius frater potuit etiam *Iulius* appellari. Huc pertinet *Gandorfodi* dictum, qui *Toxotios Iunij*, ut tute ais, *accensuit*, nam si hoc sit verum, sequitur *Eustochium Iuniam* esse nuncupandam. Manet itaque liber *Macedo* à *Nora*. Respondet tibi vir pietissimus hoc loco verbis *Augustini*. *Ignorantiam meam de origine animarum te corripiente, atque obiurgante, non molestè ferrem, imò insuper & gratias magnas agerem, si eam mihi non solum duris percuteres cenuis, sed veris etiam excuteres dictis. Si enim me posses docere quod nescio, non solum te verbis, sed & pugnis cadentem deberem patientissimè sustinere.*

Quæro ex te, doctissime vir, tanquam discipulus, quorsum tendit illud testimonium *Capitolini Desponsata* inquit illi eras *Iulia Fadella proneptis Antonini, quam postea accepit Toxotius eiusdem familia Senator*? Putasne fortè istam, *Iuliam*, nostram esse *Eustochium*, quæ virgo erat, & perpetuò virgo fuit? Et tempore excluditur? Quod si aliam, uti par est, esse arbitraris, iam alia præter nostram *Eustochium Iulia* appellabatur, & ruit illa coniectura, cum constet *Iulia* commune nomen, & gentilitium haberi. Ex his constat *P. Macedum* scopum attingisse, & rem acu tetigisse.

Superest dicere de illo exemplo inuento apud *Gruterum*. Producis epitaphium, ubi est *Ramo Vrsula*, in quo videris triumphare, sed laurea in mustaceo, ut ait *Cicero*. Retorquetur enim hoc modo. Primum *Ramus* non est nomen viri; deindè additur ei *Vrsula*, ne masculus esse crederetur, ac in te vertitur exemplum. Tam enim est alienum à femina nomen viri, ut etiam nomen *Ramo*, qui vir non erat, distinguendus fuerit addito cognomine feminino.

Maneat igitur, Albinum non poni pro Albina, Melanium aptum exemplum non esse, quod sit neutrum, nec, ut verum foret Albini exemplum, colligi consuetudinem sic appellandi: *Eunuchus* in propria significatione non quadrare in feminam. Nomen *Egyptus* esse regionis, non viri, atque adeo nihil probare. *Glycerium* apud Terentium, *Glyceriam* minimè nuncupari. *Eustochium* Virginem proprio nomine Eustochium, communi verò, & gentilitio Iuliani nominari. *Ramum* non esse nomen viri, atque adeo non esse aptum, præterea cognomine Ursulæ ad significatum femininum reuocari. Hæc de grammatica quæstione, in qua tu à priscis magistris; & nuperis probatis præceptoribus deviasti, & maluisti nouis Iansenistarum commentationibus in lib. *Nouvelle methode* adherere, ex quibus omnes tuas eruditiones iisdem penè verbis in tuam Aduentoriam transfulisti.

Alia de Albino: Quis ille fuerit, difficilior est, & ultra meum capium; eam tuo tempore suscipiet P. Macedo, & quoniam tibi licet differre apologiam tuam pro causa principali; licebit ei præsertim occupatissimo, & properanti eam in opportunius tempus reseruare. Interim tamen quod meæ facultatis est, animaduerto, prudentissimè se in hac materia gessisse. Nam primum ille obtinuit ut *Albinus* vir esset non Albina; deinde retinuit lectiones exemplarium Augustini: quod sibi proposuerat. Præterea diligenter inuestigauit excussis multis Augustini operibus ista nomina *Albini*, & *Pinianæ* & *Melania*, ut semper Albinum retinendum esse ostenderet. Insuper vidit difficultatem, adstruendi certam personam, quam etiam vidit Baronius, & tu ipse comperisti; ad eam deterritus Albinam substituiuisti, quod lectiones non patiuntur. Præterea acutè, & subtiliter locum Augustini à te minus benè expositum interpretatus est; seruata lectione integra, non autem mutata, & violata, quod Rosuueyus fecit, quem sequeris. Tandem obtinuit quod susceperat, nempe Albinam excludere, & *Albinum* retinere.

hoc ei erat propositum, nec oportebat transire ulterius ad inveniendam certam personam: quæstio enim erat, utrum Albinus vir, vel Albina femina in Augustino poneretur. Euicit argumentando, virum esse, non feminam, nec amplius exigebatur. Quod si ulterius progressus est extra officium, & debitum fuit, & ut aiunt, ex abundantia, in quo ille prudenter discurrit, nempe excludendo Albinum filium quem induxerat, quanquam dubius, Baſonius; quod erat iunior, quam ut prima loca nominaretur. Supererat igitur, ut ille vir Albinus senior esset Piniano, & Melania. Is nullus sanè esse poterat, nisi; aut pater, aut auus, aut Thios Quid hic est, quod non sit à maturo iudicio profectum? Certè ita opinantur omnes docti, qui hæc particulam, quam tu irrides, legerunt; nec erat opus ulterius tendere, quod illa quæstio: *Quisnam esset ex ijs senioribus*, non pertinebat ad scopum Macedi, ut apparet. Laudandus est igitur, non vituperandus. Nihil enim ille, *para to prepon*

Quas tu hic excitas tragædias contra P. Macedum! Quas ei contumelias, quæ conuicia facis, Audi me quæso pacatè; Propone tibi Albinum virum. Quem eum esse diceres? Neminem, nisi aliquem ex ijs, quos P. Macedo adduxit. At respondes: non inueniri istum Albinum. Verùm hoc argumentum est negatiuum, quod nihil concludit aduersus affirmantem. Progredior. Fige oculos in Patre Piniani. Cur non erit hic ille Albinus! Negas, quia ille Pater Piniani dicebatur *Seuerus*. An non potuit appellari *Albinus*, sicuti Eustochium Iulia potuit appellari? Repetis, non inueniri istud nomen. Non tamen ex eo sequitur non potuisse duplici nomine vocari. Scis enim Romanos tria nomina habere solitos, certè vno tantum non appellari. Cur igitur istum excludis? Pergo. Conuerte oculos ad Socerum Piniani. Mihi videtur probabile hunc Albinum illum fuisse. Occurris euidenter te demonstrare non fuisse. Ostendo esse probabile: nam verò simile est quod ait Chiffetius, anno 416. eiusdem obitum ponere, tum non erit ab

re biennium addere, & affirmare cum vsque ad annum 18. vixisse, quo anno te auctore librum illum Augustinus scripsit. Ergo verosimile est, eum Albinum socerum Piniani esse potuisse. Quid si Augustinus eum librum ante illum annum 18. in quo defunctus est Zosimus, librum edidit? Nihil enim repugnat vno anno ante eum Zosimus ante mortem suam Pelagianos damnate potuerit. De paruulo igitur spatio laboramus. Monstrabit tibi Macedo socerum istum anno 4 18. viuere potuisse. Cur ergo, si hæc non sunt improbabilia, Macedum reprobas? Nosti, quàm sit impedita ratio chronologiæ, & quanta sit varietas in supputatione annorũ, vti in tuo libro de Hist. Pelag. testaris. Non debes tuas opiniones certas; & indubitatas putare, & moderatius de istis differere: quod si fecisses, non toties à Baronio defecisses. Hæc ex meo paupere penu tibi repono. Tempus erit, cum à doctissimo viro minus occupato refuteris. Quomodo irrides argumentũ Macedi, quod est à partium enumeratione, Aui, Soceri, Patris, Thij, quod tu soluere cum deberes, nec posses, confugisti ad irrisiones. Vtæcumque sit, Retinendus est omnino Albinus, quo rerento, necesse est, aliquem Albinum reponere, ne cum recentioribus illis Grammaticæ nouatoribus Iansenistis hominibus sentiamus. Doleo vicem tuam (non vt ais vices) qui voluisti contra Macedum Augustini interpretem, & discipulum aculeatum calamum conuertere, cuius ego nomine Augustini verba proferre volo (*Lib. 1. contra Iulianum inis.*) *Contumelias tuas, & verba maledica, Iuliane, qua ardens iracundia anhelasti, si me contemnere dixero mentiar. Quomodo enim possum ista contemnere vbi testimonium conscientia mea cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & rursus. Pauca, qua velut infirmiora existimasti, prostrernere, & conculcare molitus es, qua tamen attingere simulisti, in concussa manere monstrantur.*

Nunc affero quod mirere. Vbi tu, doctissime vir, ineruditum putas Macedum, ibi ille se præbet eruditissimum. Scias eum euoluisse multos libros, ac in ijs Hieronimum;

Augustinum, Paulinum, Prosperum, Vitas Patrum, Possidium, Palladium, Ruffinum, Metafrastem, Surium, Baronium, Spondanum, & ipsum quem citas Rosuueydum, & quia vidit in Historijs non posse inueniri istum Albinum, id circo fassus est ingenuè, latere se, quis esset: propterea ad coniecturas recurrit, ac vt vir ingeniosus, & circumspectus inuenit illam optimam, elicitam ex ipso met textu Augustino *sincerissimi fratres dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania*, quod nomen fratres significat maiorem partem masculos esse *sincerissimi, dilecti*. Hanc tu coniecturam refellis adducto exemplo Epistolæ Augustini ad Paulinum, & Therasiam, in qua dicitur *Fratribus Paulino, & Terasia: Sancti fratres, & dilecti Deo; dilectissimi præstantissimi fratres*, pace tua dicam, minus capis vim coniecturæ, & tuum exemplum rem non continet, & apparet Macedi ingenium, quippe qui notauit in verbis Augustini vbi ponuntur duæ femine: soctus, vt tu ais *Albina*, & vxor *Melania*, vnus tantum *Pinianus* vir, non debuisse dici fratres à minori numero, idest ab vno viro: nec valet prærogatiua sexus, quia tu ipse fateris primum locum habere Albinam, quod soctus erat. Vide nunc ingenium Macedi. Feminae præstant numero, ac dignitate, ergo debent etiam præstare appellatione, non autem appellari *fratres* propter vnum Pinianum. Tuum exemplum non est aptum, quia in Epistola ad Paulinum, & Therasiam duo soli nominantur *Paulinus, & Therasia*: vbi oportet præcedat vnus masculus vnâ feminam. Rectè argumentareris, si cum Paulino duæ femine concurrerent cum prærogatiua dignitatis, sicuti in proximo exemplo *Albine, Piniane, & Melania*. Atque hic ego exulto lætitia, & admiror subtilitatem, & acumen P. Macedi cum infinita eruditione coniunctum. Nosce doctissime Noris, quantum valeat ingenium ad difficultates historicas extricandas. Confirmo coniecturam Macedi, & satisfacio tuæ dubitationi, quam posses opponere, afferendo modum, quo Augustinus vtitur, quando scribit ad virum, & feminas, plures, & digniores,

quàm sit vnus vir cum illis cōcurrent. Epistola 87. *Dilectissima, & sanctissima Matri Felicitati, & fratri Rustico, & sororibus, quæ vobiscum sunt, Augustinus.* Nota differentiam appellationum; nō appellauit Felicitatem, & Rusticum fratres, quia Felicitas dignior erat Rustico; & quia alias sorores erant, distinxit salutationes. Ita faceret Augustinus, si *Albinus* socrus esset, non autem appellaret *fratres*, cum præsertim *Melania* adderetur. Hac ratione coniectura ita roboratur, vt transeat in euidens argumentum, quo demonstratur apud Augustinum non posse *Albinum* feminam esse. Desine igitur, doctissime vir, Macedum reprehendere, imo suspice, & venerare hominem in Augustino mirabiliter versatum, & ingeniosissime Historias versantem. Nec solum adhibet locum Augustini, sed etiam egregium testimonium Hieronymi Epist. 29. *Sancti, inquit, filij communes Albinus, Apinianus, et Melania, plurimum vos salutant.* Vbi Grauius: *Augustinus, vt scribitur in vetustis exemplaribus, scripsit duos libros de peccato originali, ad Albinum, et Pinianum, et Melaniam. Quorum primus est de Gratia Christi contra Pelagianum, et Galestium in excussis codicibus, cuius initium. Quantum de vestra corporali, et maxime spiritali, salute gaudeamus, sincerissimi fratres dilecti à Deo, Albine, Piniane, et Melania, quia effari non possumus, vobis cogitandum credendumque committimus. Melania autem hac est maioris Melaniæ neptis, qua nupsit Piniano, Seueri ex Præfeti filio, teste Heraclide in Paradiso.* Obserua Sanctum Hieronymum appellasse Filios nomine masculino, vt Augustinus appellauerat fratres, quod non faceret nisi duo *Albinus, & Pinianus* viri essent. Si contrà sentire pergas, Augustino, & Hieronymo aduersaberis.

Quod verò attinet ad illud pag. 34. vbi enumeras, vir eruditissime, auctores, qui damnant Semipelagianismi Sanctum *Hilarium Arelatensem*, ego animaduerto, minus hoc esse verum, quàm à te creditur. Quod sic ostendo, *Prosperum, Theophilum Raynaudū, Gabrielem de Heno* tantum dicere, *Hilarium*



lariū doctrinā Augustini de Prædestinatione *inquerelā traxisse*: quod non est damnare eum Semipelagianismi, vt euidenter ostendit P. Macedo. Syrmondum verò dicere, *non probari eā in parte doctrinam Augustini*: quod sine hæresi stare potest, cum multis Catholicis Doctoribus ea innocenter, & sine nota non probetur. Ex alijs Fratres Sammarthani tantum aiunt, Hilarium fuisse contrarium doctrinæ Augustini. Hoc autem non continet hæresim, quia multi hodie Catholici in hac sententia Augustino aduersantur. Gilbertus Maguinus idem dicit, quamquam durius loquatur, dum ait *teste Prospero Hilarium, & alios Sancti Augustini de gratuita Dei de Prædestinatione doctrinam, non minus, quam hæresim auersati sunt*. Apparet tamen ex his verbis eum non ita sensisse, sed Auctore Prospero, rem de alijs affirmasse; cum autem sit falsum, Prosperum illud dixisse, Maguini testimonium irritum redditur. Vsserium habeto, Pater doctissime, quamquam ne hic quidem Semipelagianismum attribuit Hilario. Solum quippe ait, eum à Prospero inter eos annumerari, qui ab Augustino in doctrina de Prædestinatione dissentiant; vnde deducitur P. Macedum rectè omninò dixisse, nullum Auctorem bonum, malum esse, qui Semipelagianismum Hilario attribuerit. Manes igitur, Sapientissime Pater, tu solus huiusce opinionis Auctor; quem nos magnoperè dolemus in ea esse sententia. Peto à te suppliciter, vt velis ab ea discedere, & Patri Macedo adhærere, & Sanctum Hilarium ista calumnia liberare. Et quamquam asseras, te scribere velle in confirmationem hæreseos Sancti Vincentij Lirinensis, & Sancti Hilarij Arelatensis, & reliquorum Sanctorum, & Monachorum Lirinensium, ego id te facturum esse non existimo; non enim potest ab homine pio negari, eos esse Sanctos in Martyrologio nominatos, quo cum stare non potest hæresis Semipelagiana. Nec valet dicere, eo tempore, Semipelagianam hæresim non esse damnatam, quia vt probat euidenter P. Macedo, etiam te Auctore non valet illa excusatio, cum Semipelagianismus ab

initio damnatus esset propter duas rationes à P. Macedo adductas. Prima, quia Semipelagiani in Pelagianis fuerunt damnati, quemadmodum Semiariani in Arianis, nam Pelagiani dupliciter errabant; tum quia negabant necessitatem gratiæ; tum quia affirmabant gratiam dari ex meritis, & hic secundus error erat Semipelagianorum, & propter illum in Pelagianis damnati erant à Patribus Africanis in suis Concilijs, & ab Innocentio, Zosimo, & Bonifacio Pontificibus Romanis, tum quia sentiebant contra Epistolam Decretalem Cælestini damnantis Semipelagianismum, præsertim Vincentius Lirinensis, quem tu affirmas illam Epistolam decretalem impugnasse, & detorsisse. Vnde ego, tua pace, dicam, & habita reuerentia tam docto, & Religioso viro, non possum credere, te affirmaturum, hos Sanctos Semipelagianos fuisse, cum eos esse consecratos à Sancta Matre Ecclesia negari non possit. Et quidem, uti sum recens à Logica, argumento euidenti probare volo, contradictionem esse in tua sententia, quæ tenet, eos Sanctos esse, & Semipelagianos, & sic formo huiusmodi argumentum. Nullus Hæreticus Semipelagianus in Cælo est, sed in illa sententia præfata Vincentius Lirinensis est Hæreticus Semipelagianus, ergo in Cælo non est. Maior constat: minor affirmatur in tua sententia tenente post Epistolam Cælestini, cum contumacem, & Hæreticum fuisse; consequentia rectè colligit, cum sit in Ferio; itaque hoc ego argumento conuincor, & puto debere quemlibet Christianum conuinci. Hæc sunt quæ mihi occurrerunt circa tuam Epistolam ad defensionem Patris Macedi Magistri mei, quem etiam liberare à tuis notis volo. Memineris ab eo te iuuenem fuisse commendatum, & ornatum, multa te cum illo communicasse. Audiui enim te sæpe fatentem quasi *alumnus* tanti viri fuisse, quod quamquam dixeris pro tua modestia, fortè non aberrat à veritate. Ille te in suis libris sæpe, & magnopere laudat, præsertim tomo 2. Collat. doctrinæ D. Thomæ, & Scoti, vbi te citat sexcenties, & effusa manu laudes tuas



cumulat, cum tamen tu multò rarius, & minus illum commendes, solitus dicere abstinere te ab illo allegando, ne ab eo mutuatus esse sententias videreris. Mitto alia, quæ ille me vetat proferre. Memineris te multum ei esse obligatum. Doleo quod à te tam indignis modis tractetur. Ille te monuit ne illam calumniam imponeres Sanctis Vincentio Lirinensi, & Hilario: ne Baronium toties desereres, quem virum ille mirificè colit, & veneratur. Ac ne quid de illo sinistrum propter illum prologum suspiceris, mihi socio eius intimo constat, cum illum scripsit de te, ne per somnium quidem cogitasse. Querela tua de ignorantia Grammaticæ in indice libri posita inanis est, quia index ille textus est ab alio, non à P. Macedo. Quod mihi constat Veronæ eum comitanti. Querimonia, quod ille te non viderit Florentiæ, non est iusta; nam potius à te ille debuisset inuisi, senex, & hospes. Facile tibi esset illum videre in Palatio Serenissimi Magni Ducis, vbi Reuerendissimus P. Generalis tuus à P. Macedo ibi tum præsentè officiosè conuentus, & habitus est, à cuius te comitatu abstraxisti. Noueras P. Macedum in aula esse causa visitandi, & visendi Serenissimū Magnū Ducē, Principem incomparabilē, splendore, magnificentia, liberalitate, prudentia, iustitia, humanitate, cuius Macedo egregias animi, & corporis dotes vbiq̄ue prædicat, prædicabitque dum vixerit, quemadmodum etiam extollit, extolletque eximias virtutes Serenissimi, ac Eminentissimi Principis Leopoldi Cardinalis, quæ sine magno præconio, & admiratione enarrari nō possunt. Sciunt omnes P. Macedum hominem esse mitissimum, & officiosissimum, nec ego dubito, cum si diutius foret Florentiæ, & per tempus liceret (fuit enim maxime pluuiosum) in cœnobium tuum venturum, & Patres, quibus multum se debere fatetur, inuisurum. Querela de Orbilio facetia est intra Grammaticam, non conuictium, vt tua, quæ sunt extra argumentum, & aculeata contra decorū, & famā viri. Cessat itaque omnis materia tuarum querelarum, & P. Macedo ab omni suspi-

cione liber esse comperitur. Solatio erit P. Maecio similem se euasisse Augustino, quem alumnus Licentius deseruit, & Iulianus impugnavit. Absoluo Epistolam, verbis Augustini lib. 2. contra Maximinum initio. Vbi cum illo multas eruditiones, & auctoritates, & locos copiosissime afferente subtiliter, & acute disputans ait. *Quid tibi visum est tam multa dicere, & pro causa, qua inter nos agitur nihil dicere; quasi hoc sit respondere posse, quod est tacere non posse.*

Redeo ad Hilarium sex tu contra numerabas, ego sexcentos pro illo numerarim, & priscos. Mihi certe videtur mirum, quod Patres antiqui, ut Alcimus Auitus, S. Fulgentius, S. Isidorus, Ioannes Antiochenus, & alij qui Cassianum, & Faustum Episcopum Regiensem aperte insimulant, & culpant de hæresi Semipelagiana, ne leuiter quidem tangant Hilarium Arelatensem, cum tamen ille coæuus fuerit Cassiano, & Fausto. Prope erant, & vicini illi sæculo citati PP. & nihilominus cum omnes acriter pugnant pro Augustini sententia, nullus eorum tamquam hostem sibi contrarium vidit, aut habuit Hilarium Arelatensem. Solus Pater Noris post duodecim sæcula à tempore Hilarij Arelatensis de longinquo positus hunc Semipelagianismi næuum in eo animaduertit, durior Gennadio.

D. Leo in volumine suorum operum typis excusso Lugduni apud Michalem Liberal. Epistola Decretali 106. scribens ad Episcopos per Arelatensem Galliæ Prouinciam constitutos post obitum Sancti Hilarii ita loquitur. *Quod ergo in Arelatensium Ciuitate, defuncto Sanctæ memoria Hilario, virum etiam nobis probatum Fratrem Rauennium, secundum desideria Cleri, honoratorum, & plebis, unanimiter consecratis, bonum Fraternalitatis Vestra opus nostro iudicio comprobamus.*

D. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua. Cap. 9. *Denique Sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia, quia fuerunt sua, vendita pauperibus erogauit, sed cum postea factus esset Episcopus non contempsit Ecclesiæ facultates, sed si-*  
delif-

delissime dispensavit, quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesia, qua sunt profecto communia, possideri. Quid Sanctus Hilarius? Nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis sue fieret Ecclesie Arclatensis Episcopus quod illa tunc habebat Ecclesia non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hereditatibus ampliauit. Ibi ergo tam Sancti tam perfecti Pontifices factis evidentibus clamant posse, & debere fieri quod fecerunt.

Tandem ut appareat quanta sit doctrina, & eruditio Macedi accipe hoc Specimen Venetum, & obstupesce.

Leonis Sancti Marci Rugitus Litterarum per dies octo continuos ore P. Macedi obseruantis Minoritæ prolati:

I. Sacer

Serenissimo Principi DD. Dominico Contareno Venetiarum Duci.

**D**E Sacra Scriptura, tum veteris, tum noui Testamenti, deque eiusdem sensibus, versionibus, interpretatione, expositione.

II. Sacer

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Aloysio D. Marci  
Procuratori Contareno.*

De Romanorum Pontificum serie, successione, auctoritate suprema: deque Concilij Oecumenicis, & cæteris, ac eorum Causis, Præsidibus, Doctrina.

III. Dicatus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Andrea D. Marci  
Procuratori Contareno.*

De Historia Ecclesiastica: tum ab Adamo vsque ad Christum: tum à Christo vsque ad annum præsentem.

IV. Dicatus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Angelo D. Marci  
Procuratori Corrado:*

De Sanctorum Patrum, & Græcorum, & Latinorum ætate,

te, & Doctrina, ac præcipuè S. Augustini, cuius opera omnia exponentur; sententiæ afferentur: defendentur.

V. Consecratus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Nicolao D. Marci  
Procuratori Sagredo.*

De tota Philosophia: & Theologia speculatiua, & Morali: ac illius scholis, præcipuè Scotica, Thomistica, Iesuitica: deque Sacris Canonibus, & Institutis: ac libris iuris Ciuilibus.

VI. Consecratus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Baptista D. Marci  
Procuratori Nanio.*

De Historica Græca, Latina, Barbara, præcipuè Itala, & Veneta.

VII. Dedicatus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Petro D. Marci  
Procuratori Basadone hunc S.R.E. Cardinali.*

De Rhetorica, ac illius arte, ac methodo: ad vsum ita redacta, vt quæcumque quis quæstionem dicenti ponat, de ea ex tempore dicentem audiat.

VIII. Dedicatus

*Illustrissimo, ac Excellentissimo D. Antonio Grimano  
ad Summum Pontificem Oratori electo.*

De Poetica ad mentem Aristotelis: deque illius formis: & versibus. Poetis præcipuis Græcis, Latinis, Italis, Hispanis, Gallis. Oblata quauis materia, ex temporalis cam Poeta suscipiet, & versu describet.

**H**As Theses summa omnium expectatione, & admiratione exceptas sustinuit Pater Macedo, euentu felicissimo, Præsentibus multis Excellentissimis DD. Procuratoribus Sancti Marci, & compluribus Senatoribus, & Nobilibus Venetæ Reipublicæ, & magno numero Doctorum, ac Religiosorum virorum, etiam alienigenarum, quos fama exciuerat. Interrogarunt, & probarunt hominem innumeris quæstis, & argumentis Doctores, ac Magistri omnium ordi-

ordinum: quibus ipse ad votum respondit: ac si præmeditata omnia habuisset. Tanta felicitate, vt nunquam titubarit, nunquam dubitarit, nunquam hæserit, nunquam cunctatus fuerit. Imo sæpè accidit, vt arguentibus quæ obijciebant, aut obliuiscntibus, aut male recitantibus, ipse dicenda subministraret, & corrigeret. Inter quos fuit vnus qui Sacræ Scripturæ locum malè citarat: & alter cui locus Virgilij memoria exciderat: & tertius qui nonnullos authores suspectos pro sua sententia allegauerat: Primo igitur testimonium Sacræ Scripturæ correxit. Secundo versus Virgilij suggessit. Tertio subtraxit suspectos authores, & idoneos subministravit. Iam verò Actio nouissima de Carmine ex temporali admirabilis visa est omnibus. Is fuit enthusiasmus hominis, vt plusquam duo millia versuum repente effuderit, & argumenta sibi proposita, ex temporali Carmine reddiderit: inter quæ fuerunt duo: Gigantomachia, & furor Medæ Filios occidentis. Hæc ille vix audita suscepit, & versibus ornauit ingenti plausu, & admiratione. Fassi sunt omnes nunquam se simile quidquam vel vidisse, vel audisse: nec sibi persuadere potuisse vnum hominem tot tamque diuersa genera scientiarum complexurum fuisse. Mirati & acumen, & eruditionem, & eloquentiam, & Venæ Poeticæ vbertatem. Terminauit actionem Epigrammate in laudem Urbis Venetiarum pari omnino illi celeberrimo, ab insigni Poeta Iacobo Sannazaro composito. Quod quia excellens habitum fuit, in Bibliotheca Publica Sancti Marci auctoris manu scriptum affigi iussum, & præterea ad vsum communem typis mandatum. Itaque cum Virum dignum Senatus iudicauit, qui Ciuitate Veneta donaretur, & cui Cathedra Patauina, quæ tunc vacabat, liberali stipendio præter consuetudinem aucto assignaretur. Depingi vero eum suis sumptibus curauit Illustrissimus, ac Excellentissimus Dominus Antonius Grimanius tunc Orator ad Summum Pontificem destinatus, & hodie apud ipsum legatus. Sed Pictura opus non erat ei, cuius fama futura

erit immortalis. Sit hæc insignis Reipublicæ Venetæ Serenissimæ laus, veræ semper, vbiicumque reperiatur, virtutis rationem habere, ac homines etiam alienos, & calamitosos suscipere, protegere, ornare: & Studijs Pacis, & Armorum iuxtà florere. Domi quidem ea iusta & mitis: Foris strenua & ferox, ac de Turcarum potentia opibus, viribus, quæ insuperabiles hæctenus videbantur, victrix, ac triumphatrix.

## DE VRBE VENETA.

### EPIGRAMMA.

**C**VM Deus humanam vellet sibi iungere gentem,  
 Et iunctam thalamis consociare suis,  
 Condidit hunc (mundi quem circulus exprimit) orbem,  
 Annulus vt Sponsæ pignus in orbe foret;  
 Deerat gemma tamen, donec benè nata profundo,  
 Extulit Vrbs Venetum, gemma futura caput.  
 Tum Deus ad Sponsam, iustum en tibi pignus Amoris,  
 Vrbs Venetum gemma est, Annulus orbis erit.

### CORONIS.

Martyrol. Gallican. 5. Maij.

**A** Relati Sancti Hilarij Episcopi, & Confessoris Praclarissimi. Is cum nobilitate natalium, eximia corporis forma, summo ingenij acumine, omni denique virtutum genere esset ornatus, usque adeo Charitate flagrauit, vt pro reficiendis pauperibus, rusticationem, homo longè aliter educatus, contra vires suas exercuerit. Sed & fidei ardentissimus cultor, pro eius sinceritate iuenda aduersus Pelagianos, Sancti Augustini cuius discipulus fuerat scripta canino ore corrodescentes, multo labore desudauit, doctrinamque, quam Augustinus ipse directis ad ipsum Hilarium, ac Prosperum de Sanctorum predestinatione, & eorandem

*rundem perseverantia, admirandis libris, tradiderat, strenue propugnavit. Tantam in dicendo gratiam habuit, ut concionantem, ceu delapsum de celo Paulum omnes suspicerent, atque reuererentur.*

Hoc opusculum, quatruiduanus est factus, & bene; opinor, olet: vno die compositum, triduo impressum.

Da veniam Lector: non erant characteres  
Hebraici, nec Græcanici:

F I N I S.





Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section.

BIBLIOTECA NAZ.  
ROMA  
VITTORIO EMANUELE

